

QUESTIO XV.

DE DEFECTIBUS ANIMÆ

A CHRISTO ASSUMPTIS.

Postquam de defectibus corporis egit S. Thomas, incidit in hac quæstione de defectibus animæ tractare, et primo inquit, utrum in Christo fuerit peccatum. Respondet unica conclusione.

Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, neque originalis, neque actualis. Hæc conclusio intellecta de facto tam de peccato actuali, quam de originali, est certa secundum fidem, ut patet ex testimoniis sacræ Scripturæ adductis a D. Thoma in præsentī, et eam late probat Suarez disputatione xxxiii, sectione prima per totam; Cabrera in præsentī; et latius Vazquez disputatione lxi, capite primo. Intellecta vero de possibili secundum legem ordinariam est omnino certa inter catholicos, et satis insinuat a D. Thoma, dum in conclusione definit non fuisse Christo conveniens, seu proportionatum assumere peccatum, et nos etiam per totam quæstionem septimam plura diximus pro hac conclusione corroboranda. Solum ergo potest esse in præsentī dubium, utrum de potentia Dei absoluta peccare potuerit. Pro quo sit disputatio sequens.

DISPUTATIO XVI.

DE IMPECCABILITATE CHRISTI.

ARTICULUS I.

*Utrum de potentia Dei absoluta Christus in humana natura peccare potuerit?*

I. Quidam neoterici theologi, inter quos est Vazquez disp. lxi, cap. ii, in initio alios reprehendunt, quod disputationem istam agitent de potentia Dei absoluta, existimantes non habere locum ratione materiæ de qua agitur, quia cum Deus auctor

non sit, nec esse possit peccati, neque de potentia ordinaria, neque de absoluta, omnino impertinenter videtur disputari, an Christus de potentia Dei absoluta in humana natura peccare potuerit. Sed certe isti theologi impertinenter alios reprehendunt, et videntur difficultatem non calluisse; non enim vertitur in dubium, an Deus de sua potentia absoluta peccare potuerit, aut saltem juvare creaturam aliquam ad peccandum: hoc enim impossibile esse Deo certissimum est apud omnes; sed an Christus, licet de facto ratione unionis hypostaticæ, et donorum supernaturalium, quibus propter illam est ornata ejus humanitas, peccare non potuerit, de lege ordinaria, an si

Deus de sua potentia absoluta ab humanitate auferret omnia supernaturalia dona, et eam tantum relinqueret secundum sua naturalia, unitam tamen hypostaticè divino Verbo; an tunc talis humanitas peccare posset in tali casu; quod est inquirere, an humanitas Christi ex vi præcise unionis hypostaticæ facta fuerit impeccabilis. In quo sensu dubium istud difficile est, et optima ratione a theologis disputatur.

II. Partem affirmativam dubii tenet Durandus in iii, dist. xii, quæst. ii, num. vii, et taliter illi adhæret, ut numero viii affirmet, quod huic sententiæ magis obsistunt verba devota, quam ratio efficax. Ejusdem sententiæ esse Scotum manifeste colligitur ex ejus doctrina, quia dist. ii, quæstione prima, ait Christum non potuisse peccare ratione beatitudinis, non tamen ex vi solius unionis hypostaticæ. Quare cum alias idem Scotus sentiat humanam naturam potuisse assumi sine beatitudine, consequenter sentit posse assumi taliter, quod in illa Christus peccare posset. Illum sequitur Marsilius quæst. ix, art. ii, quibus adjungitur Henricus quodlibeto vi, quæst. vi, ubi postquam cum Scoto convenerat in asserenda impeccabilitate Christi ratione beatitudinis, ab illo tamen discedit affirmans, quod supposita unione hypostatica non potuit ab anima Christi auferri visio beata, et consequenter Christum non potuisse peccare: ablata autem visione sub conditione, affirmat Christum in natura humana peccare posse.

III. Conclusio: Christus in natura assumpta etiam de potentia Dei absoluta peccare non potuit. Hanc conclusionem ita certam existimant theologi, ut oppositam aliqui judicent erroneam, et Capreolus dicat, quod contra illam non est agendum argumentis, sed flammis; qui

autem minus rigide in hac parte loquuntur, ad minus Censent illam parum consonam doctrinæ Conciliorum, et patrum, et piarum aurium offensivam. Sic sentit magister Vincentius in sua relectione, quæst. i, pagina 32 et 91, et Vazquez disput. lxi, cap. iii, ait esse dignam aliqua nota, eo quod manifeste patrum doctrinæ adversetur. Cæterum communiter his temporibus illa sententia temeraria, impia et scandalosa judicatur, et sic inter alios sentit Suarez disp. xxxiii, sect. ii, et Cabrera in præsentī conclusione ii.

IV. Nostra igitur conclusio probatur primo, ex Concilio Florentino sessione xix, columna secunda, ubi sic habetur: « Juxta omnium philosophorum scholam actiones sunt suppositorum ». Ita ibi, et columna sequenti: « Joseph enim a Jacob supposito per ipsius naturam, ut principium quod quidem communicabile generatur, quandoquidem actiones sunt suppositorum, ut sæpenumero dictum est. » Ita ibi. « Ibidem communis doctorum sententia divina substantia nequaquam generat, unde sequitur quod sæpe pertuli, et cum suppositum ex patris substantia esse audiamus, necesse sit ex supposito intelligamus. » Ita ibi, et similia sessione xvii, post medium, ubi dicitur: « Quod suppositum est principium quod, » quod sæpe repetit in utraque sessione.

V. Expende, quod illa propositio actiones sunt suppositorum, in propriis terminis habetur in Concilio, et quod est secundum omnes philosophos: secundo, quod non potest intelligi denominative, sed elicitive, quia adducitur ad hoc quod essentia non generat, sed Pater generat, quia de fide est, quod essentia non generat elicitive, et quod Pater generat elicitive, quæ ratio intolerabilem facit contrariam sententiam.

VI. Nec valet, quod natura in

Patre generet; tum, quia eadem numero est in Patre, et in Filio, et sic generaret seipsam; tum, quia Persona Filii est genita, sicut et Pater generans; tum, quia intentum Concilii erat probare, quod Spiritus sanctus procedebat a Persona Filii, quod negabant Græci, quia de hoc articulo erat disputatio, et non negabant Græci, quod esset de natura Filii, et intendebat Latinus, quod si erat de natura Filii, erat a supposito Filii tamquam a principio quod, et totum hoc est elicitive, quia de proprietate processionis divinæ. Certe in divinis negari non potest doctrina hæc sine periculo.

VII. Nec valet, quod non sit idem in humanis, quia Concilium adducit exemplum de generatione Joseph: nec valet, quod ibi non definitur, sed solum est disputatio, quia licet hoc sit verum, tamen ex vi hujus disputationis diffinitus fuit articulus, cujus controversia erat inter Ecclesiam Latinam, et Græcam, et Latinus nomine totius Ecclesiæ Latinæ disputabat post consultationem cum Latinis, et sic est consensus communis Ecclesiæ Latinæ, quod ipse affirmabat, et temerarium est negare communem consensum doctorum Ecclesiæ Latinæ. Unde cum Græcus non ausus fuit negare, quod actiones sint suppositorum in philosophia, et sic consensit jam utraque Ecclesia in propositione, et ideo conclusus fuit Græcus, et si illam negaret, non esset conclusus, et si schola Scotica tunc esset, posset negare juxta scholam Latinorum Scotticam, et sic nihil concluderetur contra illam, certe enervat rationem Concilii contraria doctrina.

VIII. Nec valet, quod rationes definitionis non semper sunt demonstrationes, quia sunt de articulis fidei; tum, quia ad minus non nituntur fundamentis falsis, sed ve-

ris, et sic debet concedi, quod est verum principium: Actiones sunt suppositorum; tum, quia in illo Concilio ex vi disputationis conclusus fuit theologice demonstrative supposito principio fidei, naturalique, quia conclusus fuit Armenus, et postea fuit definitum, et iste articulus non erat capax ut solum ex ratione congruentiæ probaretur.

IX. Secundo, probatur conclusio multis, et gravissimis patrum testimoniis, qui videri possunt in interpretibus D. Thomæ, præcipue apud Vazquez loco citato, ubi octoginta testimonia patrum congerit; ibi videantur. In sexta etiam Synodo generali articulo VIII post confessionem Macarii, ex testimonio D. Athanasii dicitur Christus impeccabilis. Theophanes enim doctissimus vir interrogavit Macarium coram omnibus patribus: Habuit humanam voluntatem Dominus noster Jesus Christus, et impeccabilem? Et intendebat Concilium, quod utrumque confiteretur Macarius, errorem Apollinaris hæretici, et rationem ejus abjuraret.

X. Sed forte dices hoc sanctum Concilium, et sanctos patres de impeccabilitate Christi loquentes, illam tribuisse Christo non ratione unionis hypostaticæ, sed ratione beatitudinis animæ, ut asserebat Scotus, et alii, atque adeo illa ablata non negarent, quod Christus peccare potest.

XI. Hæc autem responsio omnino impertinens est, nec vim evacuat testimoniorum, sed magna inconvenientia continet. Ex illa enim manifeste sequitur omnia sacra Concilia, et sanctos patres, quotquot de impeccabilitate Christi egerunt, deceptos fuisse, dum non assignarunt veram causam impeccabilitatis Christi, si quidem nullus illorum ad beatitudinem recurrit, quæ secundum alios erat vera cau-

sa, sed ad unionem hypostaticam, quæ non erat causa in altera sententia. Hoc autem inconveniens gravissimum est, et magna esset temeritas asserere sanctos patres reddidisse non causam pro causa. Deinde, quia ablata beatitudine ab anima Christi (quod fieri posse Scotus fatetur) remaneret natura Christi humana unita Verbo, et peccabilis non secus, atque natura aliorum hominum, quod expresse contradicit sanctis patribus semper asserentibus rationem impeccabilitatis Christi esse unionem hypostaticam, et nullus sanctus adducetur, qui oppositum doceat.

XII. Quod si rursus dicas sanctos illos Patres locutos fuisse de unionem humanitatis Christi non præcise sumpta, sed simul cum omnibus donis spiritualibus, quibus de facto ornata est, quæ ortum habuerunt ex ipsa unionem; et ideo sanctos patres impeccabilitatem Christi ad unionem hypostaticam reduxisse,

XIII. Contra hoc est, nam multi sancti nullatenus sic possunt interpretari, quia revera loquuntur de impeccabilitate humanæ naturæ Christi ratione præcise unionem hypostaticæ. Inter alios autem D. Hilarius libro x de Trinitate ait: « Ita repugnat Christum peccare, sicut Christum non esse Christum. » Totam ergo repugnantiam peccati tribuit unionem hypostaticæ præcise, et non beatitudini: nam etiamsi auferretur ab anima ejus visio beatifica, adhuc maneret Christus Deus homo; ablata autem unionem non maneret Christus; ergo secundum D. Hilarium unio præcise facit Christum impeccabilem, si quidem unio præcise facit illum Christum.

XIV. Item D. Augustinus in enchiridio, cap. XL, et alibi sæpe docet: « Christum esse impeccabilem per

illam gratiam, qua a principio factus est homo Christus; » hæc autem est ipsa gratia unionem præcise sumpta; ergo illa est causa impeccabilitatis Christi. Et manifeste colligitur hanc esse mentem D. Augustini, quia ibi sanctissimus doctor arguit contra Pelagium asserentem dari nobis gratiam sanctificantem ex meritis nostris, et probat oppositum hac ratione: « Quia eadem gratia (hoc est, sine meritis) qua Christus factus est impeccabilis, fit quod homo non habeat peccatum; » ergo sentit Augustinus humanitatem ex vi talis unionem factam esse impeccabilem; alias nulla esset consequentia, et respondere posset Pelagius facillime ad argumentum Augustini, quod Christus non est factus impeccabilis ratione illius unionem, quam merita Christi non præcesserunt, sed ratione suæ beatitudinis, quam ex aliquorum theologorum sententia aliqua merita præcesserunt. Eodem ergo modo existimat Augustinus esse certum gratiam illam, qua Christus factus est impeccabilis fuisse sine meritis suis, sicut est certum gratiam nostram, qua a peccato mundamur esse sine meritis nostris, quod de gratia sola unionem universaliter, et apud omnes habet verum.

XV. Et ratione idem probatur, nam ea parte aliqua natura impeccabilis redditur, qua conjungitur immobiliter ipsi regulæ rectæ operationis; sicut e contra ea ratione est peccabilis, quia potest deviare a recta rationis regula: sed natura humana Christi ex unionem ad Verbum præcise est unita immobiliter ipsi regulæ rectæ operationis; ergo ex hoc principio redditur omnino impeccabilis, etiam si secludamus ab illa beatitudinem, aut quodlibet donum supernaturale.

XVI. Confirmatur, quia operatio-

nes Christi ideo secundum sanctos patres esse non possunt peccata, quia sunt actiones theandricæ, id est, Dei virilis, ut dicitur in sexta Synodo generali, actione VIII et XI, et sæpe docuit D. Damascenus præcipue libro III de fide, capite XIX et XX; sed quod sint Dei virilis actiones Christi non habent ex beatitudine, sed ex vi præcise unionis hypostaticæ; ergo ad hanc solam causam reducunt sancti patres impeccabilitatem Christi, et non ad beatitudinem animæ ejus. Et sancti patres ponunt differentiam inter Christum, et alias creaturas intellectuales, quod ille habet operationes theandricas, non vero alii, et non possunt esse operationes theandricæ, et peccaminosæ.

XVII. Secundo, quia si humanitas Christi peccaret, necessario Deus peccaret; hoc autem est omnino impossibile; ergo et primum. Antecedens probatur, quia actiones sunt suppositorum; ergo cum in Christo tantum sit unicum suppositum, et illud divinum, nulla actio poterit reperiri in humanitate, quæ supposito non tribuatur; atque adeo si actio ipsa fuerit peccaminosa, tale peccatum illi supposito tribuendum erit. Quod vero omnis actio Christi supposito debeat tribui, probatur; tum ex Concilio Florentino supra relato; tum etiam ratione, nam suppositum non se habet extrinsece ad operationes naturæ, sed intrinsece, quia simul cum natura est unicum principium totale elicivum illarum, quare suppositum concurrat ut principium quod, natura autem ut principium quo; ergo actiones Christi dicebant intrinsecum ordinem non solum ad ipsam naturam, sed etiam ad divinum suppositum subsistens in natura humana, et consequenter sicut esset verum dicere, quod: Homo peccat, si talis natura esset propria

personalitate terminata, sic etiam esset verum dicere modo in Christo: Hic homo peccat, quia est suppositum subsistens in natura humana.

XVIII. Hanc rationem tamquam inutilem, et vulgarem refert Vazquez capite IV, et circa finem affirmans esse D. Thomæ concludit esse parvi momenti, et illam impugnat falso fundamento innixus; ejus autem impugnatio valde inutilis est revera, nam ipse existimat, quod ratio D. Thomæ in eo fundatur, quod humanitas Christi est solum instrumentum divini suppositi Verbi ad omnes actiones tam naturales, quam supernaturales, atque ratione concursus instrumentalis humanitatem ex nulla ejus actione posse peccare. Quare cum ipse existimat, quod non ad omnia opera est natura humana Christi instrumentum Verbi, sed solum ad opera eximia, quæ vires naturales humanæ naturæ excedunt, inde sibi evidenter probatum manere videtur, quod ratio D. Thomæ est nulla, si quidem respectu operationis naturalis ad quam non est instrumentum humanitas, non datur aliqua sufficiens causa quare non possit Christus peccare.

XIX. Hæc autem impugnatio (ut dixi) falso fundamento innititur, et ex nimio affectu impugnandi D. Thomam procedere videtur. Ratio enim supra posita non fundatur in hoc, quod humanitas sit instrumentum Verbi, sed in eo quod est comprincipium ejus ad quamlibet operationem naturæ consentaneam, supposito concurrente ut principium quod, et natura ut principium quo. Suppositum namque non utitur natura ipsa ut instrumento in nobis, nec suppositum divinum in ordine ad actiones connaturales humanitatis, sed solum ad operationes miraculosas. Ex hoc ergo

principio certissimo, et universalissimo, quod actiones cujuscumque naturæ debent esse a supposito operante ut quod, quia natura secundum se ut dixit philosophus, nec net, nec flet, optime deducitur, quod si humanitas Christi aliquam actionem peccaminosam exerceret, talem actionem operaretur suppositum ut quod; atque adeo cum supposito divino repugnet omnino peccatum, etiam naturæ in illo suppositatæ repugnabit. Et hanc rationem nullatenus solvit Vazquez, nec solvi potest nisi negando principium evidens in bona metaphysica, quod actiones sunt suppositorum, et quod suppositum concurrat ut quod, et natura quælibet tantum ut principium quo.

XX. Tertio probatur, quia suppositum divinum non poterat necessitari ad operandum ex aliqua dispositione humanæ naturæ, aut potentiarum ejus; hoc enim esset maxima imperfectio divini suppositi, sed per suam voluntatem se determinabat, et determinabat etiam voluntatem humanam, et alias potentias ad operandum; ergo quælibet operatio humana Christi erat prius volita, et determinata per voluntatem divinam, atque adeo si talis actio esset peccatum, necessario esset volitum a voluntate divina, consequenter peccaret suppositum, quod implicat.

XXI. Confirmatur, quia licet voluntas Verbi sit eadem voluntas Patris, et Spiritus Sancti, nihilominus specialiter, ac si esset voluntas propria ipsius Verbi determinabat voluntatem humanam; ergo licet peccatum voluntatis humanæ non tribueretur Patri, aut Spiritui sancto tamquam principio productivo, voluntati tamen prout est Verbi, tribueretur ut principio elicitivo. Antecedens autem probatur, et declaratur hoc exemplo, quia quamvis

sit eadem voluntas omnium trium Personarum Trinitatis, tamen quantum est propria Patris, et Filii est principium spirans Spiritum sanctum; et similiter quamvis eadem sit essentia divina communis tribus Personis, tamen prout est in Patre, solum est productiva Filii per æternam generationem; ergo similiter quamvis voluntas divina sit communis omnibus tribus Personis, tamen prout appropriatur Filio subsistenti in natura humana tribui potest illi etiam peccatum, quod a tali natura humana illi unita commissum esset.

XXII. Quarto, quia non est possibile, quod natura humana Christi peccet, et peccatum non tribuatur saltem in esse moris tali supposito; ergo ne detur hoc absurdum, non est affirmandum primum. Antecedens probatur, ex intelligentia vera illius vulgaris axiomatis: Operatio sequitur esse, id est, naturam, et conditionem sui principii. Quod quidem aliter intelligi debet de operationibus naturalibus, atque de moralibus, nam operatio naturalis sequitur naturam sui principii proximi a quo specificatur: operatio vero moralis sequitur esse, seu naturam, et conditionem sui principii totalis, quod ex natura, et supposito constituitur. Qua ratione diximus supra quæstione I, articulo II pluries, quod operationes morales habebant duplicem formam, alteram ex parte finis, qua ratione dicitur charitas forma omnium virtutum; alteram ex parte subjecti, seu suppositi. Quare quamvis actio jejunandi Christi, et nostra esset in esse naturæ ejusdem speciei, tamen in esse moris, eo quod actio Christi procedebat a supposito infinito, diversa erat specie ab actione nostra in esse moris. Ex hoc ergo probatur antecedens primum clare, quia quælibet actio naturæ humanæ